

ad excipienda, & convehenda frumenta in stationibus erant, detinuerunt. His de causis Hieronymi Canalis præfecti factum varie, prout quisque secum animo reputabat, aut improbari, aut extolli. Nonnullis temere Rempublicam in magnum discrimen conjectam; nil nisi privatam militaris laudis gloriam præfecto accessisse videbatur: aliquam iniri rationem, qua ardens Suleimani animus mitesceret; abdicari se magistratu Canalem, novum legatum creari oportere. Alii extollere summis laudibus egregium præfecti facinus, quod insolentis piratæ præferoces spiritus obtudisset; militare Venetorum decus celebri fama nobilitasset: præmiis, atque honoribus alendam civium virtutem, surgentes vividi animi impetus minime obterendos.

Itaque cum hæc sententia vicisset, alia via animum Suleimani placatiorem reddere, sibi conciliare Patres statuunt; id opportune fieri posse rati, si nuntius Byzantium mitteretur. Quamvis enim Nicolaus Justinianus legatus lenire factum, culpam in Maurum transferre conatus esset, atque Ajacem, supremum Bassam, penes quem summa erat auctoritas, Venetis conciliare studuisset; attamen Daniele Ludovicum, a secretis, virum prudentia, & rerum usu magnis in negotiis versatum, Byzantium proficisci Senatus iussit, ut coram Suleimano, ac purpuratis, quæ a Canali gesta fuerant, summa ratione probaret effecta esse. Is triremi statim in Illyricum advectus, inde terrestri itinere per Mœsiam, & Thraciam Byzantium profectus, Suleimano, ac Bassis adventus sui causam exposuit: noctis errore, ut inter se amicæ classes, concursu facto, certarent, contigisse: necessitate adactum Canalem, quod Mauri triremes, quæ propius accesserant, piraticas credidisset, ad pugnam committendam descendisse: nullo unquam tempore Venetam gentem animum infensum erga potentissimum Regem habuisse; nihilque tam alienum a Republica esse, quam injurias, aut damna Suleimano inferre, quem magno semper studio, omnibusque benevolentiae officiis coluisset: non quod fortuito eventu, cæcæque noctis caligine obrectum contigerat, sed immotum erga illum, propensumque Senatus animum, nullis unquam humanæ fortis tenebris offundendum inspiceret, ac nube minus amicæ in Rempublicam voluntatis discussa,

1533

*De Hieronymi Canalis facinore diversæ Senatorii sententia.*

*Daniel Ludovicus Byzantium mittitur.*